

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Samuel Andreae Johann Dietrich Hermann


**Šeer we-g 'n g ra we-kiššIn Seu Disquisitio Theologica Exegetica Et Practica De  
Periculo Animi Elati Per Externa Se Exerentis. Ex Prov. XVI. 18.**

Marburgi Cattorum: Kürsnerus, 1698

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788768603>

Druck Freier  Zugang





[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn788768603/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788768603/phys_0001)

DFG

93

Fa 1092 (93)



בָּנֶגֶת

MING

CL


Bei dem

OCCASI

ERNES

ET FA

M. JO



B. C. D.

אבר גאנן נכה רוח וכטלן  
Sen

DISQUISITIO THEOLOGICA  
EXEGETICA ET PRACTICA

PERICULO  
ANIMI ELATI  
PER EXTERNA  
SE EXERENTIS.

Ex  
Prov. XVI. 18.

Quam

Εὰν δὲ κύριος σέβεται καὶ διστάσει  
P R A E S E S

S A M U E L A N D R E Æ ,  
S. Th. D. & Prof. P.

Et

R E S P O N D E N S

J O H . D I E D R . H E R M A N N U S ,  
C A S S E L L A N U S ,

In Auditorio Theologico publicè horis matutinis

Placide ventilandam proponunt

A. d. 21. Maii anni M D C. X C V I I I .

3

M A R B U R G I C A T T O R U M ,

Typis hæred. J O H . J O D O C I K Ü R S N E R I , Acad. Typog.

Illustrissimo Comiti ac Domino,  
**DN. JOHANNI**  
**THEODORICO**

S. ROM. IMP. COMITI  
**DE KUNOWITZ**  
L.B. IN OSTRA, HLUGK ET LAUCKA.  
DYNASTÆ IN HUNGARISCHBROT.

Potentissimi Cattorum Principis Senatus Sanctio-  
ris, Dicasterii & Consistorii PRÆSIDI Eminentissimo.

UT ET  
**VIRO Magnifico & Excellentissimo Domino,**  
**DN. NICOLAO WIL-**  
**HELMO GOEDDÆO,**

Eiusdem Serenissimi Cattorum Principis CON-  
SILIARIO Intimo, & CANCELLARIO  
Amplissimo,

Mecenatibus, Fautoribus ac Studiorum suorum Promo-  
toribus summis, omni observantia & submissione ad ultimos usque  
Cineres enixè colendis & venerandis

In debita gratitudinis Symbolum, sui ac studio-  
rum suorum commendationem, has & praecoxæ  
Academicas humilimæ mente ac manu offere  
& sacras facit

Devotissimus Cliens:  
**JOH. DIEDERICUS HERMANNUS, Ref.**



B. C. D.

DISQUISITIO THEOLOGICA  
EXEGETICA & PRACTICA

D E  
PERICULÓ ANIMI  
ELATI PER EXTERNA  
SE EXSERENTIS.

Ex Prov. XVI. 18.

**H**EBRAEORUM parœmia est: זֶמֶלָא אֹולָא לְמִיבְעֵי קָרְנַי אֲוּרְנַי רְדַשׁ לְהַגְּזִין מִנְהָה quasitum cornua aures quas habuit præciderunt ei. Refertur hæc in tract. Talmud Sanhedrin, fol. 106. atque Bileamo applicatur. Citat inde Celeberrimus Buxtorf. in Lex. Talm. &c ex hoc ἐπάντειον Bochartus Hieroz. Part. I. lib. 2. c. 5. putantq; applicari, quod cum majora affectaret donum prophetiae amiserit, Contextum verò insipienti liquet, aliam planè esse applicationis rationem, & hanc parœmiam non ad sequentia sed ad præcedentia esse referendam. Occasio eam adducendi est quod Num. XXXI. 8. in illa expeditione contra Midianitas etiam Bileamus filius Beor legatur occisus. Cum enim ex Syria se vocatum dicat, Num. XXI. 7. & ad locum suum legatur reversus Num. XXIV. 25. mirum videtur Magistris, quomodo ibi fuerit inventus & quid ibi negotii ei fuerit. Unde **שָׂאֵי כְּבַעַד חַתָּם** quid ibi quæsivit? querunt. Et responderet Rabbi Juchanan: **שְׁהַלְךָ לִטוֹל שְׁכָר עֲשָׂרִים וּאֶרְבַּע** respondebat ut acciperet mercedem viginti quatuor milia m.

A



millium quos prostraverat in Israele. Nempe supponunt, non  
solùm ex illo צְעַדָּתְךָ consulam tibi Num. XXIV. 14. [in quo lo-  
cationem ellipticam esse pntant & subintelligi, quid tu facere de-  
beas illi] sed imprimis ex verbis expressis Num. XXXI. 16. בְּרֵבֶר בְּלָעֵם ex dicto Bileami, peccatum Israelitarum, per scortatio-  
nem & hinc secutam idolatriam commissum, [quod Num. XXV.  
1 seqq describitur] ex Bileami confilio confer Apoc. II. 14. Jaccidis-  
se: ideoq; cùm exinde vicies quater mille Israelitarū ex plagā fuerint  
mortui, uti ¶. 9. narratur, hunc ad Midianitas reversum mercedem  
demum consilii fausti & felicis eventus querere voluisse, & sic una  
cum Regibus Midianitarum trucidatuim. Quæ eadem traditio etiā in  
Bammidbar Rabba Sect. 20. fol. 279. col. 3. & Sect. 22. fol. 283. col.  
1. repetitur. Atque ita tum l. c. in Sanhedrin ista parœmia subjicitur:  
Dixit MarSutra filius Tobiae, dixit Raf הִנֵּה רָאָמְרִי אַנְשֵׁי נְמֻלָּא וְנוּן Hoc est quod vulgo ajunt: Camelus &c. evidenti indica-  
cio eam ad præcedentia spectare. Sequitur quidem, quoniam  
idem Bileam Jos. XIII. 22. [ubi eadem cædes ejus narratur] vo-  
catur קָרְבָּן divinus, id idem quod נְבָנָה propheta esse. R. Ju-  
ehanan autem dixisse prius prophetam fuisse & tandem divinum.  
Sed huic quoque suum proverbium subjungitur sub nomine Raf  
Papa. Hoc esse quod vulgo ajunt: מְסֻנָּנוּ וְשָׁלִיטָיו חָאוּ לְגַבְּרֵי נְגַרְתֵּינוּ Quod Buxtorfius in סְנָן ita reddit: A Principibus & dominatori-  
bus fuit scortans eum viris opificibus. Et de nobili quodam scor-  
to dictum vult quod à magnatibus transit ad opifices. Prout La-  
tinè dicimus ab equis ad asinos descendere. Unde patet prius  
proverbium quoque antecedentia respicere.

I I. Sed de origine ejus uterque Vir Celeberrimus nihil mo-  
net. Bochartus solùm indicat, Græcos quoque dicere: Η' καμελος  
απερινόστα τεράτων, οὐδὲ τὰ οὐτα προσαπώλισεν. Camelus desiderans  
cornua, aures quoque insuper perdidit. Unde verò, non explicat.  
Videtur autem ea ex Eſopī fab. 200. petenda, in quâ dicitur, quod  
camelus videns taurum cornibus superbientem & invidens paria  
voluerit nancisci, atque sic eo nomine Jovem adierit; qui iratus  
quod mole corporis & robore non contentus superflua postularet,  
non solùm cornua non addiderit, sed & aurium particulam dem-  
pserit. Quam Aphthonius Sophista fab. 15. repetit & Avienus  
¶. 8. narrans, camelum cùm vidisset taurum, cornua quoque acci-  
pere

pere concupivisse. Accessisse itaque ad Jovem & cornua petuisse.  
Hunc verò ægrè ferentem τὸν ἀπλανταναντανανταναnananana

III. Secundum hanc originem nunc illud proverbium tam  
Bileamo quam alis insatiabili habendi cupiditate flagrantibus  
quadrat. Illi quidem, dum ex hypothesi traditionis Judaicæ rem  
augere intendens vitam perdidit. His verò, dum[ sic] quod in alia fa-  
bula Αἴσοπος & Φαδρί est] cum cane umbram carnis majorēm se-  
stantes hujus quam ferunt sāpē jacturam patiuntur. Quomodo  
non in πλεονεξίᾳ solum sed φαινομένων quoque & κανονοδοξίᾳ id pot-  
est accommodari, illos imprimis qui plus de facultatibus suis  
quam possident sibi promittentes, dum altiora viribus appetunt,  
aut per lubrica emergere festinant, aut in omnibus ptimas tenere  
volunt, aut honores æmulis & dignioribus præcipiunt, aut dictatu-  
ram invito populo exercent, aut per saltum non per gradus ascen-  
dere volunt, aut nusquam ubi consistant invenientes semper plus  
ultra tendunt; non solum vitam sibi sāpē reddunt acerbam, si vel  
contra æmulorum invidiam & adversantium insidias consistere  
queant, sed & sāpē ruinam accersunt.

IV. Cūmitaq; cavere & in futurum prospicere utile sit, juveni-  
bus imprimis, qui rārō se suo modulo & pede metiuntur, dum præ-  
sumendo abrepti studia præcipitant, se inæqualibus comparando  
intempestivè passibus haud æquis sequuntur & ubi progredi non  
possunt, tergum planè studiis desperabundi obvertunt; aut hono-  
res appetunt & ambiunt fautoribus quos virtute ambire oportet,  
imò præsumtione in omnibus potius quam certā & explora-  
tā scientiā nituntur & feruntur: erit aliquod operæ pretium si Re-  
gum Sapientissimi aliquod huc spectans monitum (cujus Ethica  
& Politica omnes alias proculdubio antecellunt) oculis & animis  
nostris subjiciamus, & exinde sapere, si pote, discamus. Nempe  
illud quod inter tot alia Prov. XVI. 18. legitur & ita habet:

לפניהם נאנו ולפניהם רוח: Quæ verba diversimode ab Interpretibus redduntur, prout ad emphasis verborum & rerum connexionem plus minusve attenderunt. Quos producere quotquot ad manus sunt, atq; tum eorum versiones inter se conferre, non esse operam perdere, puto jam ex aliis disquisitionibus constare.

V. Luherus vertit, Wer zu Grunde gehen soll / der wird zu vor stolzhoffärtig und stolzer Muth kommt vor dem Fall. Piscator. Für der Verstörung geht stolz her/und für dem Fall geht Hochmuth her. Trem. & Junius, Ante confraktionem superbia & ante lapsum alti sunt spiritus. Belga, Hooverdigheyt is voor de verbrekinge ende hoogheyt des geestes voor den val. Galli, L'orgueil va devant l'escrasement: & la hautesse d'esprit devant la ruine. Diodati, L'orgueil va devant la ruine & la hautesse d'esprit devant le trebuchement. Angli, Pride goeth before destruction and an haughty spirit before a fall. Vulgata, Contritionem praecedit superbia & ante ruinam exaltatur spiritus. Quod Ulenberg ita reddit: Hoffaith gehet vor dem Verderben her: und für dem Faller hebt sich der Geist. Sed Gallus interpres Pontificius non sine auditamento, L'orgueil precede la ruine de l'ame & l'esprit s'elevé avant la chute. Castalio. Calamitatem superbia ruinam fastus animi praecedit. Munsterus. Praecedit superbia contritionem & ante ruinam est spiritus elatus. Coccejus. Ante confraktionem est elatio & ante offensionem celsitudo animi. Graci, Πρὸς αὐτοὺς γένεται υἱός, πρὸς δὲ τάματα κακοφρούν. Ante contritionem praecedit protervia & ante casum animus malitiosus. Aquila autem prima reddit: εἰς πρόσωπον συντριβῆς ἵπποφέρεια. Targum קָרְבָּה תִּבְרָא פָּתְנֹתָה וְקָרְבָּה תְּקַלָּה רֶמֶת רָחִים: Ante confraktionem superbia & ante lapsum elatio spiritus. Ita versiones non sine aliquâ quoad sensum discrepantiâ, de quo nunc porrò disquirendum.

VI. Sententiam enim hæc verba exhibent verissimam & omnium seculorum experientiâ comprobatam, de quâ Rabag meritò ad h. l. dicit זה מכוון מאר מען מרה הוות' tione hujus dispositionis exploratissimum esse. Meditari ergo eam per-

50

perquam utile est, eo quod hoc animi etati vitium ultimum sit quod etiam quando alia superata, superest expugnandum, adeo intimè fibris cordis perversi adhærens, (quod hoc respectu etiam ἡ λα-  
μοῦ & salebrosum) ut nunquam coram Deo atque hominibus  
rectum & æquale & sibi constans sit, donec ad agnitionē veram &  
intimam Dei & sui & mundi deductum complanetur & ad æqua-  
litatem redigatur Ies. XL. 4. Imò dñe hīc sunt sententiae, quæ li-  
cer idem dicere videantur, tamen meritò distinguuntur, cùm שׁבָּר  
plus quam בְּשָׁלֹן esse videatur adeoque à majori ad minus fieri  
regressum. Nam in utraque antecedens & consequens ita conne-  
xum, ut de consequente antecedens affirmetur, cùm videri posset  
consequens de antecedente fuisse affirmandum. Sed in eo regres-  
sus est ab effecto ad causam, quoniam homines plerumque de causa  
haud cogitare solent, neq; ubi antecedens adest consequens metu-  
ere, donec effectus in oculos incurrens animumq; conturbans eos  
impellit ut in causam inquirant, quæ tum à posteriori evidentissimè  
detegitur, nec sine efficacia quandoque, ut capiant exemplum ab  
aliis sibi & diligentius ad se attendant qui in diem vivere soliti fue-  
runt. Puto autem in priori sententia, in antecedente habitum, in  
consequente effectum consummatum, in posteriori verò dispositio-  
nem in antecedente, sed in consequente effectum in fieri necdum  
completum proponi. Id emphases detegent verborum, ubi quid  
propriè, quid בְּשָׁלֹן & quomodo בְּשָׁלֹן ac נִבְּהָדָת distin-  
guantur, paulò accuratius fuerit expensum & demonstratum.

VII. Prior sententia est שׁבָּר בְּשָׁלֹן in quā subjectum  
postponitur ꝑ causam dictam, quod sic ab effecto, quod ani-  
mum adverbit, regressum dari ad causam inquirendam innuat. In quo cùm emphasis sit etiam in verborum collocatione, ordo  
hic non fuit mutandus, quod ramen factum à Belgis, Gallis, Dioda-  
ti, Anglis, etiam Interpretibus Pontificiis Vulgaram hīc deserenti-  
bus Vlenberg & Gallo, ac denique Munstero, Iraque ante fra-  
eturam est elatio. Cujus nexus & suppositi ut vera ratio pateat,  
quid שׁבָּר, quid בְּשָׁלֹן hīc sit, est inquirendum. Et quidem i. Quo-  
ad שׁבָּר quidam termino generali confractio[n]is vel contritionis  
utentes verbum verbo reddiderunt & sensum obseurum relique-  
runt. Sic Trem. & Junius. Belga, Vulgata, Munsterus, Cocce-  
jus, Graci, Targum. Etiam Santes Pagninus qui sic transtulit

A 3

Ante



*Ante contritionem est superbia & ante ruinam elatio spiritus. Alii dum sensum metaphoræ exprimere voluerunt, vocē acceperunt nimis strictè, restringendo vel ad ruinam & perditionem totalem, ut Lutherus, Galli, Diodati, Ulenberg; vel ad destructionē, ut Piscator & Angli; imò specialissimè ad ruinam animæ, ut Interpres Gallus Pontificius. Rectius Castalio qui calamitatem reddit. Nam שבר latius hic capiendum.*

VIII. Quod si enim usum vocis in Scripturis spectemus, omnino latius patet. Sumitur enim quandoque propriè de fractura manus aut pedis *Lev. 21. 19.* in lege talionis *Lev. 24. 20.* aut iuri cadentis vel testæ confractæ *Ies. 30. 13. 14.* Sed frequentius impropriè, atque tum ( si unicum locum *Jud. 7. 15.* excipias, ubi de interpretatione somnii usurpatur) calamitatem, contritionem, afflictionem in animâ & corpore & bonis quamcunque tam piorum quam impiorum, imprimis Ecclesiæ & populi Dei, notat majorem minoremve. Sic שבר רוח animum fractum in impiis quislin ejultum prorumpit designat *Ies. 65. 14.* Et שבר פשׁע fractura defectorum videtur notare eorum contritionem & ruinam donec penitus consumantur *Ies. 1. 28.* De piis in individuo שבר dicitur, afflictionem & dolorem animi notans ex consideratione calamitatis publicæ *Jer. 10. 19.* Ubi etiam cum מכה seu plaga conjungitur. Designantur autem calamitates publicæ quæ integrum populum aut gentem spectant, bellicæ potissimum, quando שבר dicitur de terra *Psal. 60. 4.* & de populo Dei *Ies. 30. 26.* & de filia populi *Jer. 6. 14* & *8. 11.* *Thren. 2. 11.* & *3. 48.* & *4. 10.* & de fractura Josephi *Amos 6. 6.* Conjungitur quandoque cum vastatione *Ies. 59. 7.* & *60. 18.* imò cum vastatione, fame & gladio simul *Ies. 51. 19.* Comitatur eam quandoque clamor ex doloris vehementia. *Jer. 15. 5.* *Jer. 30. 15.* Et cùm detur שבר cui non est contractio, ubi nulla spes ut vulnus sanatum vel fractura solidata tandem rursus coëat *Nahum. 3. 19.* supponendum, dati etiam minorrem quæ non sit mortifera sed medicinam admittat, prout in fracturis quandoque membrorum corporis, manūs, pedis, brachii evidens, & aliis quoque metaphoricè talibus *Ies. 30. 26.* Hinc quædam fractura est שׁוֹנָא mortifera, ex defectu curationis quoque *Jer. 30. 12.* Quæ magna vocatur, & nunc Ecclesiam & populum Dei *Jer. 4. 6.* & *6. 1.* nunc hostes ejus Moabum & Babelem spectat

Etat *Jer. 48.3. & 50.22. & 51.54.* *Imò magna ut mare Thren. 2.*  
 13. & propter profunditatem, & propter diffusionem latè paten-  
 tem, dicitur. Cum ergo vocis שְׁבָר significatus adeo latè pateat,  
 non opus ut eum hīc restringamus & præcisè de ruina seu confra-  
 ctione totali accipiamus aut destructione. Sed de calamitate quā-  
 cunque, majore, minore, corporali, spirituali, quæ cum afflictione  
 aliquā conjuncta res nostras conturbat, intelligi potest. Qui au-  
 tem ad ruinam retulit anima Interpretis Pontificius, in eo videri vult  
*Augustin. in Psal. 50.* secutus. Verūm si vel is eò accommodat  
 & lapsu Davidi hoc dictum applicat, non ideo voluit non aliam  
 etiam ruinam vel contritionem hīc simul intelligi posse

IX. Jam si porrò 2. quid נִזְנָן hīc propriè sit inquiramus, vi-  
 demus id omnes Interpretes ferè superbiam, Stoltz, Hoffart, orgueil,  
 pride reddere; Coccejum verò elationem. Ast in versione Græca  
 est ὅλη protervia vel contumelia, quā aliis per proterviam affici-  
 tur. Insipienti autem loca ubi occurrit & diligenter expenden-  
 tipatet, οὐδὲν non semper esse elationem supra modum & in sequi-  
 ore partem sumendam, sed notare id omne quo quid altum appa-  
 ret & se exaserbit in aliorum oculos incurrens: sive id fiat per  
 manifestationem veram vera altitudinis quæ vitio caret; sive per  
 ostentationem & elationem supra modum, quā quis major videri  
 vult quam revera est, vel altitudinem & eminentiam suam rebus  
 inanibus ostendere & aliorum qui inania sectantur oculos perstrin-  
 gere conatur. Priori modo ipsi Deo tribuitur נִזְנָן & quidem  
 המה majestas excellentia, *Ies. 2. 10.* & seq. idque turn  
 quando dicitur surgere לְעוֹרֵץ הָאָרֶץ ut terreat, vel, uti *Trem.* &  
 Jun. reddunt, vehementer exagitetur terram. Sic esset excellen-  
 tia quæ aliis est terrori, qualis potentium qui potentiam suā alios ter-  
 rent arma ostentando ac bellum minando. Sic quoque יְהוָה  
 excellentia Jehovæ commemoratur *Ies. 24.14.* quam alii cantan-  
 do extollunt, dum vastitatem terræ inducit. Confer *Exod. 15.7.*  
 Et excellentia (נִזְנָן) nominis Jehovæ per quam Messias pascer Ec-  
 clesiam. *Mich. 5.4. (al. 3.)* Ita בְּקַעֲןִי excellentia Iacobi est  
 id omne quod Israelitæ præcipuum habebant, illud πεπιστον, illa præ-  
 stantia, uti Apostolo *Rom. 3.1.* dicitur, nempelix, urbs, templum,  
 sanctuarium & reliqua quæ idem recenset *Rom. 9.4.* Nam hæc  
 revera eos efferebant & in gradu quodam excellentiæ majori præ-  
 aliis

## 8

aliis populis constituebant. *Psal. 47. 5.* Sed cum illis confide-  
tent animum obfirmantes & in hisce secundum carnem alios despi-  
ciendo gloriarentur, ut esset **INN** excellentia roboris, jam abo-  
minationi erat Deo penam interminanti *Lev. 26. 19.* *Ezech. 7.*  
*24.* & *24. 21.* & *30. 6.* & *33. 28.* *Jer. 13. 9.* *Hos. 5. 5.* & *7. 10.*  
*Amos 6. 8.* & *8. 7.* *Nahum. 2. 3.* (al. 2.) Et sic jam posteriori hoc  
sensu, quo **INN** in malam partem sumitur, idem erat excellentia  
*Jacobi* & *Israe lis* quod **INN** seu excellentia *Moabi* *Ies. 16. 6.* *Jer.*  
*48. 29.* aut *Moabi* & *Ammonitarum* *Zeph. 2. 10.* aut *Egypti*,  
*Ezech. 32. 12.* *Philistaeorum* *Zach. 9. 6.* & *Affyrii* *Zach. 10. 11.*  
cui excidium imminebat; & quod fastus malorum ac superborum  
de quibus *Job. 35. 12.* & *Ies. 13. 11.* Et sic quoqne **INN** respectu  
istius pompæ mundanæ & animi superbi per inania se exserētis jam  
inter peccata Sodomæ *Ezech. 16. 49.* commemoratur. Qui fastus  
se etiam per labia & os exerit *Psal. 59. 13.*

X. Atque ita h̄c esse **INN** hoc posteriori modo intelligen-  
dum res ipsa loquitur, ut *ὑπερηφανεία* externam denotet omnem  
que fastum & ostentationem ejus quod sumus aut non sumus, quæ  
voce, gestu, habitu & quibusunque actionibus simulando aut dil-  
simulando fit, eo imprimis scopo ut aliis non inferiores, pares, aut  
etiam superiores nos esse demonstremus; & quæ dites, potentes, no-  
biles, acuti, facundi, eruditi, periti, benigni, liberales, expediti vide-  
amur; vel saltem animos aliorum in nostri admirationem rapiamus  
nobisque mancipemus. Quorūm pertinet omnis externus luxus  
& luxuriæ apparatus, thronismus in verbis, laus propria, fucus o-  
mnis, vestitus, incessus, aliorum oculos in se convertens, profusio &  
prodigalitas ad famam liberalitatis captandam, ostentatio poten-  
tiæ, splendor externus in ædificiis, utensilibus & instrumento do-  
mestico, copia famulitii, apparitorum, parasitorum, stipatorum, &  
id omne magnificum quorum catalogum prolixum sapientissimus  
Regum recenset ac tandem vanitatem agnolcit *Eccles. 11. 4.* seqq.  
quoties istis dignitatem aut existimationem nobis supra modum  
conditionis & facultatum parare & conservare conamur ut majo-  
res videamur quam sumus quasi cubitum ad statutam nostram ap-  
posituri. Ita pro varia conditionis ratione notare potest omne il-  
lud quo e.g. studiis operam dans videri vult se plus profecisse quam  
profecit, se didicisse quod non didicit subordinationes studiorum  
ignorans

ignorans aut negligens, dum per superbiam, ne aliis, ætate aut conditione aut tempore quod studii impensum est vel esse oportuit æqualibus, inferior videatur, data operâ hæc præcipitat. Theologæ elencticæ, propheticæ, problematicæ, se immersando quando ne quidem didacticam aut catecheticam satls recte degustavit; suggestum concordando publicè quando nullum collegium practicum habuit, conciones habendo nullam adhuc methodum tenens. Ita si quis vult audire excellens in arte sua, imò excellentissimus, magnificus, illustris, sibi & aliis palpum obtrudens, quando omnis *græcis* habens *δοκιμασίας* conjunctam solidam haud est, judicio Apostoli 1. Cor. 8. 2. & ferè ad auram popularem captandam tantum refertur. Verbo, huc pertinet id omne in quounque vitæ genere quod *πόλης παραστατικής* nomine venit Act. 25. 23. ab imaginatione pendens, & eorum quitali in speciem apparatu ad conciliandum splendorem ac existimationem utuntur, & eorum qui eo delectantur atque afficiuntur, quem Galli *parade* vocant.

XI. Jam quo sensu hic לְפָנֵי שָׁבָר גָּוֹן ante calamitatē adest *superbia* dicatur, porrò disquirendum. Latiū, imò in omni latitudine suā, & שָׁבָר & גָּוֹן capiendum esse, sententia absolute posita indicat. Idque eo magis patet, quia *sententia non est universalis*, quasi ubicunque שָׁבָר est ibi præcesserit פָּנָן & exterrit fastū ac superbiaz indicium. Nam & homines quandoque per imprudentiam, negligentiam & securitatem in calamitatem incident, ubi semper tamen aliqua etiam præsumtio, sed latens frequenter, adesse solet. Sed est *indefinita*, de eo quod fieri solet ac fit loquens, nempe, quodd inter שָׁבָר & גָּוֹן sit nexus antecedentis & consequentis, sic ut ubi שָׁבָר & calamitas occurrit, dum ad antecedentia & originem ejus respicimus, imprimis quoque ad פָּנָן sit reflectendum, annon forte aliqua præcesserit *superba excellentia nostræ ostentatio*, alios, vel data opera, vel propter invidiā aut æmulationem, irritans & ad contra nitendum provocans, quæ sic occasionem vel anslam vel causam dederit calamitati aut ruinæ. Quod ut eo facilius & evidentius fieri queat, aliorum exempla sunt spectanda, quorum calamitatem historia sacra & profana ita defcripsit, ut שָׁבָר & גָּוֹן præcedens simul referret. Cujusmodi non in impiis solùm Sodomitis Ezech 16. 50. Pharaone Exod. 5. 2. cœtu Korachi Lev. 16. 9. 10. Gaal filio Ebed Iud. 9. 38-40. coll. Sanheribo,

B

Nebucad-



Nebucadnezare, Belthasare, Hamane, Herode & similibus prostant in facris, sed in piis quoq; Hiskia 1. Chron. 32. 25. Ies. 39. 6. 7. Josia 2. Chron. 35. 20. seqq. aliisque. Quod imprimis pertinet locus 2. Chron. 25. 8. Tum enim quod in illis accidit, & in nobis similem ortum habere, eo facilius detegemus, si actiones nostras præcedentes & calamitatum originem cum aliorum actionibus & vivendi ratione antequam in calamitatem inciderunt componamus, quod ferè per cordis fraudulentiam negligitur.

XII. *Lutherus ergo non recte vertit: Wer zu Grunde gehen soll/d er wird zuvor stolz/hoffärtig.* Nam 1. Illud soll non est in textu, licet alias, si vel ad præscientiæ divinæ infallibilitatem solùm respiciamus, etiam illis qui nobis fatum stoicum nullo jure tribuant, nobiscum dicendum sit, omni pereundi fuisse pereundum. Reætius dixisset, *wer zu Grunde geht/vel potius, wer in Unglück gerath/der ist zuvor stolz gewesen.* 2. Cur hic illud גָּמִינָה gemino epitheto *stolz/hoffärtig* exprimat, causam non video. Nam si alterum ad alterius explicationem facit, forte melius dixisset, *hoffärtig stolz/quoniam vox hoffärtig modum superbiæ exprimit, quod homines tum vivant aulicè & aularum in morem splendorem externum in omnibus supra conditionis & facultatum modum quaerant.* Siquidem Hoffart est quasi Hoff art/dum homines privati aut ordinis inferioris supra modulum suum assurgunt splendorem aulicum imitari aliquam partem cupientes, prout hic per gradus se ex aulâ primûm in aulæ proximos, inde in alios his proximos diffundit, & sic descendendo omnibus existimationis per externa parandæ studiosissime tandem communicat.

XIII. Posterior autem sententia porrò sic habet: וְלֹפֶנִי כְּשַׁלֵּן גַּבְהָ רֹחֶת ante offensionem spiritus elatus. In quâ perinde ob causam dictam subiectum Spiritus vel animus elatus postponitur, quod sic regressus ab effecto quo turbamur, ad causam ejus quaerendam detur. Effectus autem hic 1. vel consequens, est כְּשַׁלֵּן, quod plerique casum vel lapsus simpliciter reddunt, Luth. Pisc. Trem. & Inn. Graci, Targum, Belga, Diodati, Angli; ut maiorem minoremve comprehendere queat. Alii ruinam, ut Vulgata, Castalio, Munsterus, Sed Coccejus, proprius ad originem & emphasis respiciendo, melius offensionem. Nempe כְּשַׁלֵּן propriè est lapsare antequam quis labatur, strauchlen, ut fit si quis impingat

gat. Unde scandalum, offendiculum, quod facit ut quis  
impingat casui proximus. Id quod evenire solet ambulantibus  
*Nahum*. 2. 6. (al 5.) & persequentibus *Jer.* 20. 11. & currentibus  
*Prov.* 4. 12. Et sub onere fatiscentibus dum vires deficiunt *Neh.*  
4. 10. *Thren.* 5. 13. Et sic de **כָּל** robore dicitur **כָּל** vacillat vel  
labefactatur meine Kraft ist verfallen *Psal.* 31. 11. Et de genibus  
ob jejunium vacillantibus *Psal.* 109. 24. Quæ Apostolo sunt **בְּגִדְעֹן**  
**בְּנֵי נַעֲמָן** *Hebr.* 12. 12. Et sic **רְגַשְׁלִיל** sunt infirmi  
*1. Sam.* 2. 4. & 2. *Chron.* 28. 15. Hinc post **כָּל** sequitur **בָּל**, post  
offensionem casus. *Psal.* 27. 2. *Jer.* 46. 6. & 50. 32. & post utrumque  
consumptio *Isa.* 31. 3. *Dan.* 11. 19. Ita post **כָּל** sequitur  
**שְׁבָר** confrangi *Isa.* 28. 13 & **אֶבֶן** perire *Psal.* 9. 4. Quod fit etiam  
dum unus in alterum cadit, einer über den andern hinsällt *Lev.* 26.  
37. Atque ita non *casum* solùm sed *ruinam* quandoque de-  
signat prostrati *Psal.* 107. 12. *Prov.* 24. 16.

XIV. Quod si autem nexus utriusque sententiæ & regres-  
sum in utraque observatum spectemus, videtur ille inter utrumque  
subjectum & prædicatum utiusque perinde conimodè ac inter  
subjectum & prædicatum cujusque harum duarum sententiarum  
constitui posse. Nam uti **שְׁבָר** **כָּל** & **כָּל** præsupponit  
רוּחַ נָבָה sic etiam præsupponit **שְׁבָר** & **כָּל** etiam  
præsupponitur. Unde jam constat facile, quomodo  
**כָּל** hic sumatur, & quod non præcisè notet *ruinam* seu *casum*  
quo quis corruis penitus, sed talem quo quis lapsat aut vacillando  
propter debilitatem, aut impingendo dum offendit ad aliquid  
quod obstaculo est ne promate progrediatur. Quo sentiu *Coc-*  
*ceijus recte offensionem substituit. Quod & physice intelligi potest*  
de illis obstaculis quæ currentibus aut ambulantibus in via offen-  
dendo occurunt; & moraliter, de omnibus lingua, calam, judi-  
cii lapsibus & eclipsibus, de erroribus consiliorum & omnibus se-  
curæ aut ambitiosæ imprudentiæ lapsibus quibus πολλὰ οταίουμεν  
& ταπεινούμεν, & nemo ita providus & in futurum prospiciens, quin præ-  
sumtione & affectibus abreptus quandoque ad obstaculum quod  
prætervehi poterat & declinare, impingat, dum omnino progredi  
volens id violenter removere conatur visum; vel etiam per inadverten-  
tiā sub pluribus alijs obstaculis latens aut calliditate opponen-  
tiū testum & absconditum non observat, atq; sic impingit & prola-  
bitur.

bitur. Quâ ratione lapsus hujusmodi etiam sâpe ruinam involvit, sâpe boni nominis & existimationis detrimentum aut jacturam.

XV. Constat verò etiam ex superioribus 2. quid גַּם רוח hic sit, tam in relatione ad יְהוָה quam in relatione ad כָּלֹן, cùm ad utrumque referri posse sit dictum. In se quidem altitudinem spiritus seu celsitudinem animi notat, uti Cocceius transtulit. Quâ ratione etiam in bonam partem accipi potest, cùm animus heroicus & generosus sublimia querens & se humo mediis legitimis tollens donum Dei sit. Quò videtur referendus רוח קָדוֹשׁ (Luth. ein hoher Geist / Pisc. ein fürtrefflicher Geist / Tr. & Jun. Spiritus excellens) qui Danieli tribuitur Dan. 6. 4. Et sic altitude cordis in bonam partem 2. Chron. 17. 6. de Josaphato cordate in viis Domini progrediente capitur. Sed in oppositione, in malam ferè partem. Ira גַּם רוח seu longanimilitati atque videtur animum generosum sui non cùm opere notare, cuius faciles sunt motus & sic ex precipitantiâ lapsus Eccl. 7. 8. Eodem sensu de corde elato Prov. 16. 5. & 18. 12. Psal. 131. 1. 2. Chron. 26. 16. & 32. 25. & Ezech. 28. 2. 17. accipitur. Atque ita superbiam corporalem 2. Chron. 32. 26. Jes. 3. 16. Jer. 13. 15. Ezech. 16. 50. & 28. 5. ac spiritualem Zeph. 3. 11. designat. Neque dubium hic in malam partem accipi, uti ab illis factum qui stolzer Ruth/Hochmuth/fastum animi, spiritumclarum, וְנִזְגָּהֶת reddiderunt. Nam κακοφροσύνη Græcorum non quadrat & nullum in usu vocis fundamentum haberet, ut animum malitiosum notet.

XVI. Id autem imprimis utraque relatio confirmat. Si ad יְהוָה referatur, est quasi dispositio quædam prava naturalis aut habitus animi acquitus, qui postea per externa וְתִגְנְּבָלָא indicia exserit & יְהוָה fastum in extensis producit. Sin verò ad כלון, est antecedens quoddam frequens errorum & lapsuum in consiliis, resolutionibus, propositis, conatibus, arduis, ambiguis, periculis, quando animus אֲוֹדָה vel pericula & obstacula, dum quod vult vehementer vult & in altum erigitur, non videt; vel ex quoddam presumtione & fiducia, in te aut aliis locata, despicit & contemnit ac se vel facile vel salte in tandem superaturum confidit; & hinc securitate etiam frequenter peccat & per imprudentiam impingit ac vela vertere cogit, imdquandoque etiam ludibrium debet.

13

het & damno gravi afficitur sibique ruinam accersit. Cujusmodi  
in conatibus irritis & infelicibus audacie & temeritatis ac p̄fici-  
entis ambitionis exempla in omni vitæ genere quotidie occurunt.  
Talia in sacris, Regis & incolarum Haji *Jos.* 8. 14. & seqq. Abime-  
lechi *Jud.* 9. 52. 53. Benjaminitarum *Jud.* 20. 32. & seqq. Golia-  
thi 1. *Sam.* 17. 4. seqq. Petri *Matth.* 14. 26. & seqq. aliorumque.  
Huc in genere vitæ literario etiam pertinent plurima quæ *Theophili-*  
*lus Spizelius* in utroque *Commentario Felicis & Infelicis literati*  
concessit, licet faten dum sit, eum hinc inde etiam non satis accura-  
tè de dictis factisque aliorum judicium tulisse.

XVII. Unico id exemplo hīc liceat comprobare. *Felicis Li-*  
*terati* pag. 228. *judicio Ferrarii de Salmasio* subscrībens, ut *super-*  
*biam* ejus probet quā immodicus sui æstimator exstiterit, aliorum  
contemptor omnisque sententiæ, cuius ipse autor non esset, inimi-  
cūs; *huc* refert sequentem ex *Colomeso* historiam, qui ex ore *Vossii*  
narret, quodam die in *Bibliotheca Regiâ Gaulmynum Salmasium*  
& *Manssacum* sibi invicem occurrisse. Tum horum primum ad  
reliquos duos dixisse, *puto nos tres omnibus qui in Europa vivunt*  
*eruditis paria falturos.* *Salmasium* verò reposuisse. *Vos duo jun-*  
*gite vobis quicquid in universo orbe terrarum Eruditorum reperi-*  
*tur* & ego non dubito me solum opponere vobis omnibus. Cùm enim  
id omne procul dubio joco idque occasione ejus quod à *Gaulmyno*  
prolatum erat, dictum sit; saltē hinc nil certi ad talem superbiā pro-  
bandam poterat inferri. *Gaulmynum* verò rectius eo nomine no-  
nasset, p̄ssertim cùm scripta ejus ubiq: typhum & animum elatum  
spirent. Quorūm pertinet, quod libro*s de Vīa & Morte Mōsis*  
Hebraicē cum versione & notis edens, in titulo posuerit, *Primus*  
*Hebraicē edidit*, cùm tamen pag. 175, fateatur eos jam antea *Con-*  
*stantinopoli & Venetiis* editos fuisse: quod *notas inter legendum*  
à se dictatas jaēt, licet pluribus allegationibus Hebraicis Græcis  
& Arabicis sint refertæ. Ita Epistolam satis prolixam, quæ fata Poë-  
seos Græcæ exhibet, quā *Theodorum Predromum Poëtam Græcum*  
Carolo de l'orme Medico Regio inscripsit, in venatione conce-  
ptam dicit, & de versione sua ejusdem Poëtæ, *septem diebus Latini-*  
*num fecimus*, scriberenon veretur. Sed prout גְּבָהּ רֹוחַ animus  
elatus huic aderat se per פְּנֵי & fastum in verbis tumidis ubique  
prodens

B. 3.

prodens, ita non defuit כָּלְלִי offensio & lapsus, quem in utraque versione omnibus ferè paginis licet observare.

XVIII. Felices verò nos si haec omnia ad animum frequentius vocemus, operam daturine quid animo præsidenti supra facultates aut vires aggrediamur parum in futurum prospicientes, & de obstaculis, postmodum occurrentibus quæ prævideri poterant minus solliciti aut eadē contemnentes; neve in eo quod aggressi sumus parum cum cura ob animi præsidentis securitatem versemur; ne invidiam & odia data opera provocemus & arduum ad gloriam iter per ambitionem nostrā sorte haud contenti affectemus, nostro tandem quoque exemplo comprobatur illud: Tolluntur in altum ut lapsu graviore ruant. Felices, si non ipsi nos artibus homine indignis aut bruto impetu levare & tollere humo conemur, sed τὴν ταπεινοφροσύνην ἐχομένων, quod nostrum est pro virtutum modulo agentes mereri potius laudem & decus vitâ benè composita & benè dictis factisque quam consequi conemur. Sic enim nunquam, vel typhus inaniis, vel stulta ostentatio, vel invida æmulatio, vel jačantia thrasonica, vel præcepstemeritas, vel imprudens audacia, nos abripiet transversos; nec unquam per lapsus nostros lædet existimationem quam parare aut tueri conamur, neq; incrementa in decreta, fastigium in ruinam & gloriam in ignominiam convertet. Quare aureum illud ΓΝΩΣΙ ΣΕΑΤΩΝ: & alterum; NOLI ALTUM SAPERE SED TIME: & tertium; QUID HABES QUOD NON ACCEPERIS? imò illud Christi; ABNEGET SEIPSUM: ceu medium & remedium præstantissimum ac obvium adversus omnes animi elati se per externa exserentis impetus mihi subjiciens aliisq; commendans, finio verbis Hieronymi Epist. 2. ad Nepotianum. Nullum leſi, nullius uomen meā scriptura designatum est, neminem ſpecialiter meus sermo pulsavit. Generalis de vitiis diſputatio est, qui mihi iraſci voluerit, prius ipſe deſe, quod talis ſit, conſitebitur.

### COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

**S**acram Scripturam esse perfectam, & in iis, que ad salutem necessaria, perspicua, contra Pont, aſſerimus.

Per

## II.

Personam Secundam S. S. Trinitatis vocatur Filius Dei, non ob metaphoram aliquam, ut quidam volunt, sed ob eternam generationem Patris, quâ illi modô nobis incomprehensibili essentiam divinam communicavit: De Generatione hac loca sequentia Psal. 2. 7. Prov. 8. 22. & seqq. Mich. 5. 2. & præsertim Ioh. 5. 26, non autem øconomicè intelligenda esse, piè credimus.

## III.

Apostolum Rom. 9. 11. 12. 13. agere primariò de æterna Electione ad vitam æternam & reprobatione, multis ex argumentis patet.

## IV.

Illa autem Electio nec facta est ex prævisa fide, nec est universalis, ut quidam existimant.

## V.

Librum, ex quo Moses deleri cupiit Exod. 32. 32. non esse librum illū, in quo ab aeterno certi hæredes ad vitam æternam conscripti sunt, ex multis concludimus.

## VI.

Dari Angelos malos, eosque ex permissione Dei in corpora operari posse & actu operari, contra id negantes ex S. Scriptura defendimus.

## VII.

Spectrum illud Endoreum I. Sam. 28. productum à Pythonissa, non fuit verus Samuel, sed phantasma Diabolicum sub Schemate Samuelis.

## VIII.

Peccatum Adami non soli Adamo, sed etiam posteris ejus per imputationem antecedentem nocuit.

## IX.

Homines peccatores non propter justitiam inhærentem sed propter imputatam Christi Justitiam à Deo justificantur.

Diffe-



16

X.

Differentiam Accidentalem inter V. & N. Testam. concedimus, substantiale negamus.

XI.

Vna omni etate Ecclesiae fuit via salutis, scil. Iesus Christus, per quem & Patres V. T. salvati sunt.

XII.

Sacrificia Patres ante legem Mosaicam, non ex proprio instinctu sed ex iussu Dei obtulisse, affirmamus.

XIII.

Ex vaticiniis Iacobi Gen. 49. 10. & Dan. 9. 26. 27. Messiam jam dudum venisse, apoditicè contra Iudeos demonstrari posse putamus.

XIV.

Verba Davidis Psal. 40. 8. סְפַר non obstante versione Graeca Hebr. 10. 7. vertuntur commode IN VOLVMI NE LIBRI.

XV.

Christi satisfactio non tantum loco nostro, contra quam Sociniani docent, facta est, sed & ita perfecta est, ut post eam satisfactionibus humanis locus nullus superfit.

XVI.

Lutheranorum consubstantiationem & Pontif. Transsubstantiationem in S. Cœna ut dogma non tantum S. Scriptura sed & Rationi sana ac illuminata repugnans rejicimus.

XVII.

Locus Zach. 9. 11. Limbo Patrium sub V. T. à Pontif. ficto non favet.

XVIII.

Papam posse fallere & falli etiam in articolis fidei, ex experientia constat.

XIX.

Omnes mortuos esse resurrecturos iisdem numerò corporibus, qua in hac vita habuerunt, contra Soc. defendimus.

PRÆ-

17

P R A E S I D I S

Ad Pereximum D. RESPONDENTEM

Auditorem suum ob modestiam, industriam & profectus  
egregios gratissimum

**Q**uām sint elatis discrimina magna timenda  
Hinc animi, fastus quod sine mole ruat;  
Dum vanis turgens extollitur atque levatur  
Plausibus, & properans mens levis alta petit:  
Expendis mecum, mi HERMANNE, docesque caveret  
Exemplo simul & quod facis ipse mones.  
Gratulor ex animo specimen, semperque faventem:  
Apprecior in studiis, qui premit alta, Deum!  
Tu modò perge Tibi nū hinc decerpere laudis.  
Gloria sit loli, qui super astra, Deo!

**C**Ulmīna dum tentat suprema superbia cœli,  
In barathrum cœni præcipitata ruit.  
Quilibet ergo priùs sapiens descendat & reportet,  
Ut sic demissus tutior alta petat.  
Hanc HERMANNE sequare viam, sic itur ad astra.  
Sic humilis primū quis fuit, alius erit.

Diligenti inter diligentes & Intelligenti inter Intelligentes  
Theologie alumno Dn. Respondenti ex  
animo accinebat

**G**AUTRIUS, S. T. D. & P. & E. G. P. A. E.

**E**sto! surgat humo, mox & tollatur in altum  
Haman; at à lapsu nullibi tutus erit.  
Nempe solet SUMMUS malè debellare superbos;  
Ait humiles ejus cura paterna levat.  
Non est abjectus, si quem DEUS evehit altus;  
Ergo sis imus, summus ut esse queas!

In solenne Disquisitionis argumentum moris:

& amoris ergo deproperabat,

**G**EORG. CHRISTIAN. Brandt L. A. M.

C

Ama-

**A**mpla demissos humilesque dona  
Quod Deo suimo maneat benignè  
Dante, quis perversus homo negabit

Numine teste?

Mœstus at contrâ subitusque casus

Quod superbos interitusque durus

Consequatur, suavis Amice, monstras

Non sine laude,

Turgido spreto stolidoque fastu,

Naviter pèrgas humili esse corde,

Sic Deus Te tandem aliquando certò

Tollet ad astra.

*In tessera amicitia amico amicus ponebas*

**CHRISTOPHORUS THORENIUS, Homb. Hass.**

**Q**uod, quæ Dædaliden rabies Phætontaque torsi

Multos præcipitet, tempora nostra docent.

Hinc ut vite turperans Salinonea fastus

Scriptis exponit Suada diserta tua

Gratulor eximo permagnâ pulpta laude

Quæ scandens decoras, dulcis Amice, Tibi.

Te Deus ut porrò virtutum doribus ornet

Comprecor ex animo, cunctaque cœpta fluant.

*Ita tumultuante quidem calamò, animò verò*

*prolixo Perex. Dn. Resp. Conterraneo suo*

*atque Commensali gratulari voluit*

N. à D. L. L. C.

**T**u combats de l'orgueil la fatale insolence,

Qui nos premiers Patens, & leur Posterité,

Plongea dans le malheur, priva de l'innocence,

Et les rendis sujet à la Mortalité.

Que ton tare savoir nous fournit de Lumiere!

Pour aimer la vertu, suivre l'humilité :

C'est elle, qui nous donne, au bout de la carriete,

Le remede à nos maux, & l'immortalité.

*Hac paucula Doctissimo Domino Respondenti,*

*ripens & oīlus ēnra, properare voluit*


J. FERRY, Gallo Metensis, S.S. Theol. Stud.











\* 13 \*

uæ Pater ipsi dedit, v. 36. *Filius permisit illum, c. 4, 34. perficit opus, quod ficeret, c. 17, 4. operatur opera ejus, 9, 4. facit opera in nomine Patris suis era Patris sui, ibid. v. 37. 38. Denique rabili modo ab eodem scriptore tracter in Filio manens faciat opera, nimis facit, cap. 14. 10. Petimus hic a lectorium locorum collectionem æquo flarium ad hoc viſam, ut unus loquenter alterum declaretur, eademq; ope obscuro latet, inveniatur atq; eruatur. tem dubium videtur, quin qui loca ovinō scriptore collecta intuetur, post *Ex illorum* onem aliquam discrepantiae speciem *collatione* iam sunt eorum alia, in quibus actio- *instituitur* elut *separatæ existimari possint, alia in totius rei ad unitatem quandam redactæ.* V- *explicatio.* itur, quod faciat opera Patris sui, seu ii, qui eum miserit; item, quod opera ipsi de derit, vel que Pater ostendat faciuntur actiones tanquam *separatæ ac suis Patris; contra, in prioribus tribus actionum conjunctio & unitas signi dicare non est cuiquam, opinor, dif uitum est, nunc tandem luculentius illi, quos querimus, modi operatio li a Patre pendentium, ut simul su sensu aliquid possit vel non possit ex de locum inveniant. Ecce igitur ad s per explicationes sequentes.**

B 3

§. XI.

46.

7